

180. **O. Dielsianum** Kränzl. n. sp. — Caespites parvi. Radices longiusculae. Folia infrabulbosa 3 ad 4, brevi-vaginantia. Pseudobulbi ovati, compressi, subancipites, irregulariter rugosi, monophylli, ad 3 cm longi et basi lati. Folia et infrabulbosa et illud pseudobulborum e basi longiuscule compressa linearia, obtusa, biapiculata, ad 13 cm longa, 1,5 cm lata. Inflorescentiae folia paulo excedentes, circ. a dimidio paniculatae, 20 ad 25 cm longae, pauci- ad pluriflorae, rami pauciflori, vix fractiliflexi, bracteae vix conspicuae, pedicelli cum ovariis 8 ad 9 mm longi. Sepala late obovato-oblonga, apice rotundata, sepalum dorsale cucullatum, omnia 4,5 mm longa, 2 mm lata. Petala aequalia vel paululum latiora. Labelli lobi laterales pro rata magni, late lineares, antice retusi, lobus intermedius convexus, toto ambitu obcordatus, antice leviter sinuatus, lamellulae breves in basi disci, alarum instar divergentes, quibus anteposita est tertia cucullata, totum labellum 6 ad 7 mm longum, inter lobos laterales 10 mm latum. Gynostemii alae magnae, subquadratae vel dolabriformes, margine integrae, dens crassus, valde recurvus, apice biapiculatus in ipsa basi gynostemii, rostellum et anthera et caudicula longissime producta. — Flores lutei, centro rubro-maculati. — Fig. 17 F: a et b.

Subäquatoriale andine Provinz. Costa Rica (Endres!); S. José (Carmioli!).

Nota. Est species structura labelli adhuc inaudita notabilis. Labellum more solito trilobum est, basis tamen convexa, illi impositae sunt lamellulae 2 quadratae, lobos laterales quasi reiterantes, ante illas (fere in medio disco) cucullus parvus inveniendus. Cornu basilare gynostemii etiam in aliis speciebus observandum in hac specie apice leviter bidentatum est. Toto habitu planta specimen magnitudine reductum pauciflorum *O. Pittieri* Schlechter in memoriam revocat. Flores odorem *Primulae* nostrae exhalare dicuntur (primrose-scented — ut ait cl. Endres).